



M.-s. 1297

Am F.  
R

2197.6

F. A. 3 May 3  
1831 oho

# IMAGO LAPI

19

DIS ANGVLARIS QVA SIG  
NIFICANTVR BENEFICIA FL  
LII DEI, EX QVIBVS SALVS  
ET AVXILIVM ECCLE-  
SIAE PENDET.

Autore

IOHANNE MEISNERO  
Strelensi Silesio.

Philippus Melanth.

IPSE Deus sapiens, uerbo qui cuncta creauit,  
Et certis annum legibus ire iubet.  
Efficiat, nobis ueniens sit faustus ut annus,  
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.  
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,  
Cuius sit Doctor, uita, caputq; Λόγος,  
Hic Λόγος, æterno natus Patre, semper adesse  
Et custos nobis & caput esse uelit.  
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,  
Regum præsidij orphana mœsta caret.  
Sed nostram indueris cum miro foedere massam  
Gnate DEI semper nos tua membra regas.  
Et facias, tecum nos unum ut simus in ænum,  
Vera laude tuus quo celebretur honos.

1557.

ILLVSTRISSIMO CLARISSIMOQVE PRIN-  
cipi ac Domino, Domino Georgio, Silesiae Duci,  
Principi Lignicensi & Brigenisi &c. Domino  
suo clementissimo, S. P. D.

**D**VM subit hoc animum quo coeli sidera facta  
Quælibet & tellus obstupuere nouo. **Ta**  
Nempe Dei humanos sumens ubi filius artus  
Nostra studet damno damna leuare suo.  
**Q**uis neget à prima nascentis origine mundi  
Hunc λόγον auxiliij dona dedisse suis?  
Hic sibi fidentem per tot miracula cœtum  
Semper & innumeris seruat alitè modis.  
**O** adeò insignis res: præter ut omnia solam  
Hanc animo amplecti debeat omnis homo.  
**H**æc eadem res est Regum dignissima curis  
Illorum primas quas Deus esse iubet.  
Colligat & sanctum quoniam sibi seruet ut agmen,  
Sæpe salutares excitat ille Duces.  
Præsidio illorum seruante Ecclesia tutæ  
Ut bona sinceræ tempora pacis agat.  
Iungat ut hæc puero tranquillor oscula nato,  
Fœdere & amplexus consociata nouo.  
Scilicet ut semper pacato munere laudum  
Glorificare queat nomina magna Dei.  
Ergo meæ patriæ pater & Dux clare Georgi,  
Inter & heroas connumerande pios.  
Pauca refert tenui quæ nunc mea carmine Musa,  
Consule, dicamus dum meliora, boni.  
Viue diu Princeps clarissime sidere fausto,  
Te queat ut uiuo uiuere turba Dei.

**T. C.** deditissimus

Iohannes Meissner.

# IMAGO LAPIDIS ANGV<sup>s</sup>

laris qua significantur beneficia  
Filij Dei &c.

**Q**VAM furor immenso stygius grassatur in orbe?  
Quam sua non aliquem trux habet ira modum?  
Nil intentatum nocitura clade relinquit,  
Et quacunq; queat labe ferire solet.  
Quas habet ille suas immani robore uires  
Exerit, humanum perdat ut omne genus.  
Sed sibi fidentum Deus est tutela per omne  
Tempus, & illorum gloria, uita, salus.  
Quis putet? incolumes huius superauimus anni  
Quae modo cunq; graues nos habuere minæ.  
Nos ita defensos Domino fateamur ab ipso,  
Muneris & quod nunc uiuimus esse Dei.  
Cuius ut inuictæ manet ingens gloria dextræ,  
Sic suā nec finem laus pietatis habet.  
Cedite qui Domino uitam non creditis omnem,  
Sperantes uestro cuncta labore geri.  
Nam uelut instabili fixum nutabit arena  
Ante leues auras ædificantis opus.  
Quod grauiore statim cum uis afflauerit austro,  
Et uento in præceps quolibet omne ruit.  
Sic malefida Deo gens dispergetur in auras,  
Ut nullam requiem possideatq; locum,

A ij STAT

STAT fundata domus ualida tutissima rupe,  
Hanc ui tempestas frangere nulla potest,  
Seu Boreas omnis gelida bacchetur ab arcto,  
Eurus & Eoo spiret ab axe grauis,  
Singula seu reboent diuerso flamina tractu,  
Fulmina pugnaci turbine missa ruant :  
Non tamen eximiæ populabitur arcis honorem  
Ausa procella minis ausa nocere malis.  
Nec quoties muri iaculo feriuntur & armis,  
Mœnia bombardæ fortia pellit onus.  
Robur ita est lapidis duro insuperabile ferro,  
Qui gerit extructæ nobile molis opus.  
Sic fuit, est, & erit fortissima petra suorum  
Emanuel summi filius ipse Dei.  
Hac manet incolumis fundata Ecclesia rupe,  
Et uice munitæ turris & arcis erit.  
Hanc licet aduersum fremat undiq; & undiq; diris  
Sæpe procellarum uentus & aura minis.  
Agmina spirituum pandant sua colla malorum,  
Omnis & infernæ sœuiat aula domus.  
Seu furor in rabiem percellat in orbe Tyrannos,  
Qui Christi miserè depopulantur oues :  
Ipse tamen ualidæ tutatur robore dextræ  
Cuncta suum nomen corda professa Deus.  
Semper adest misericordia diuino numine præfens,  
E summisq; suos liberat ille malis.

TAT

Aspice

Aspice primæ ui miserabile tempus Adami,  
Esse sui quando cessat imago Dei.  
Hei mihi, tempestas it toto turbida cœlo,  
Perdendum humanum qua genus omne fuit.  
Dum subit æternæ tristissima mortis imago,  
Styx adeunda feræ iamq; paludis erat.  
Huius at horrendæ est tam cladis amore misertus  
Qui satus est summo de genitore Λόγῳ.  
Qui noua narraret miranda lut foedera patris,  
Huius ab arcano prodijt ecce sinu.  
Ac bona commemorans quæ sit diuina uoluntas,  
Quā pateat miseris spes animosa reis,  
Semen, ait, ueniens magna ui conteret olim  
Serpentis stygio colla necanda iugo.  
Tempus erit quando castæ sub uentre puellæ  
Cingar ego fragili corpore, natus homo.  
Tunc ego fraterno uobis deuinctus amore  
Λύτροι meo patri persoluenda dabo.  
Morte satisfaciens Legis sententiæ & iræ,  
Crimina delebo uestra cruore meo.  
Per me foeda lues Peccati abolebitur omnis,  
Mors cadet, & mortis dissoluetur opus.  
Præcipitesq; dabunt sese Cacodæmon & Orcus,  
Omnis & illorum uicta tyrannis erit.  
Et bona quæ fuerant amissa sub hoste redibunt,  
Pristina tum uitæ munera perpetuæ.

A ij Sic ait:

Sic ait : & subitō uitæ noua gaudia tristes  
Senferunt uerbo uiuificante rei.  
Intus & æterni spirabilis atira fauoris  
Accendit flatu corda renata suo.  
Hinc procul omnis abit dolor implacabilis iræ,  
Iræ, quam culpa commeruere sua.  
Ergo ubi multi uagis stagnare paludibus orbem  
Fecerat, & sub aquis omne perire genus.  
Rexit in ambiguis saluandi scrinia Nohæ  
Fluctibus ipsius dextera magna Dei.  
Sic Sodomæ quando summo labentibus axe  
Impia sulphureis ignibus ardet humus,  
Vir pius ante alios diuino numine Lothus  
Sentit ab his cunctis se superesse malis.  
Quo iusti exilium rediit, quō carcer Ioseph ?  
Nonne Dei forti spe quoq; tutus erat ?  
Dum uehitur magnos ad summi Regis honores,  
Et claros inter clarior ipse Duces.  
Sceptra sui minimè tamen ille potentia regni  
Iudicat esse alijs anteferenda bonis.  
Nempe alios uera ut de Religione doceret,  
Aeterniq; pia cognitione Dei.  
Tām fuit ornatus diuinis laudibus, etsi  
Finibus à patrijs orbus & exul erat.  
Israel populus sic cum Pharaone sub hoste  
Seruili quondam compede uinctus erat.  
Viribus

Viribus humanis fuit insuperabilis ullis  
Ilicò maiestas conspicienda Dei.  
Quo duce Thariadūm sicco pede transiit omne  
Purpurei pelagi flumina magna genus.  
Ardua dum uasti ceu stabant mœnia fluctus  
Sternentes populo, quā graderetur, iter.  
Pulsus at horribili Pharao Cacodæmonis œstro  
Pro stulta pœnas impietate tulit.  
Dum perit in numero stipatus milite & armis  
Hostis Erythræas naufragus inter aquas.  
Exitus ille fuit regnantis in orbe superbi,  
Hei, sine, res grauis est uiuere uelle Deo.  
Gloria nil mundi, nil magna potentia prosunt,  
Militis instructi copia nulla ualeat.  
Nil manet æternum uasto telluris in orbe,  
Et subito est, clarum quod fuit ante, nihil.  
Omnia sunt hominum tremulæ ludibria fortis,  
Absq; Deo uita est nil nisi mortis opus.  
Vera Dei auxiliū semper fiducia nostri  
Sola manet nullis interitura malis.  
Qui solet esse suis nullo non tempore præsens,  
Robore & hos firmo præsidioq; iuuat.  
Qui quondam in uasta de cœlo pauit eremo  
Diues abundantī millia multa cibo.  
Cumq; in deserto premeret sitis arida, terræ  
Vena nec effossæ suppeditaret aquas.

Fluminis

Fluminis in morem largi Sineia rupes  
Neptuni misso uerbere fudit opes,  
Gloria sit Christo, sientes sanguine nostras  
Qui recreans animas uulnera morte tulit.  
Legiferi ut cautes Sineia Moseos ictu  
Scinditur, & liquidis illa scaturit aquis:  
Iussa Dei immotæ legis sic Christus adimplens  
Vulnera pro humana labe cruenta gerit.  
E quibus emanant gratissima flumina uitæ,  
O & iusticiæ munera chara nouæ.  
Hinc bibat ut sitiens tam dulci nectare potum,  
Arida peccatis qui rigat ora suis.  
Vsq; adeò summus tribuit dator ille bonorum  
Diuitias omni quæ sine fine manent.  
Laus tibi summa Deus: nostrū memoranda uoluntas  
Nam tua pectus alit nam tua corpus alit.  
Dans æterna pijs, dans & præsentia dona,  
Nulla parte uolens deseruisse tuos.  
Vndiq; quicquid opus, dans quicquid ubiq; necesse  
Ubertate tua diuite cuncta replens: C est,  
Orantimq; pias uoces exaudis, & illas  
Eximium facilis pondus habere sinis.  
Ut magis Amramidis quondam pia uota precesq;  
Hostis quam ualidi currus & arma ualent.  
Ausus Idumæus ui quando arcere tyrannus  
Finibus Isacidas prælia dura mouet.

Donec

Donec enim Mosis tolluntur ad æthera palmæ,  
Præsentem populus sentit adesse Deum.  
Pondera sed manuum quando grauiora remittit,  
Victor in his toties cladibus hostis erat.  
Ergo sua in cœlum ut sustollere brachia possit,  
Sternuntur cubitis saxa roganis opem.  
Donec Idumæis fusis hostilibus armis  
Phœbus in occiduis mergitur imus aquis.  
Sic labor infelix hominum est & inutilis omnis,  
Absq; Deo sibi quem sumere cunq; solent.  
Sed nos sollicita Dominum cum mente precamur,  
Omnia successu prosperiore cadunt.  
Finiet & semper nostrum feliciter omne  
Auspice quod Christo suscipiemus opus.  
Saxea defessas ut Moseos ara petentis  
Munit, ut erectas tollat ad astra manus.  
Mox ubi uiua Dei senserunt numina coram  
Isacidæ, & uires auxiliumq; dari.  
Pectus ubi nostrum Christo fulcimine nixum  
Tempore sic etiam quolibet orat opem,  
Erigimusq; pias quoties ad sidera palmas,  
Quas gerit ipsius filius, ara, Dei.  
Ara, sui patris meritam in qua sustulit iram,  
Factus pro humana uictima labe Deo.  
Abluit & tetras nostro de pectore sordes,  
Simus ut æterni uiuida templa patris.

B Illius

Illi⁹ ô mitis tam patris amica uoluntas  
Optandas aliquas illa negaret opes?  
Illa ne sic frustra tot iuramenta dedisset?  
Promissamue suam frangeret illa fidem?  
Non certe: fidei est laus immutabilis illi,  
Tām uerax minimē fallere sermo potest.  
Prōh furiale nefas, Domino diffidere tanto,  
Quo nihil ex animo promptius orbis habet.  
Illi⁹ ad mites uotum fert filius aures  
Vulnera significans sœua sui lateris.  
Ergo sui propter dulcissima nomina nati  
Incaſſum miseras non ſinit ire preces.  
Audit & optatam ſolet omnibus ille piorum  
Rebus adorantūm ferre salutis opem.  
Ceu tulit afflito Dauidi mole laborum  
In ſua couſueto uota rogarē Deum.  
Hanc quia confugit ſacram ſpe plenus ad aram  
Venturi expectans ſeminis auxilium.  
Ergo mali cuncta ſuit immutabilis aura,  
Et ualida tutus ſicut in arce ſuit,  
Quam Christi lapidis constanti robore fultam  
Viribus ausus erat perdere nemo ſuis.  
Inde gigantæa truculentum mole Golian  
Magnanimi potuit ui ſuperare Dei.  
Tutus erat quando furij agitatus & ira  
Saulus huic omni parte nocere cupit.

Hostis

Hostis ut ē summis deiectus ad infima transit,  
Dum cadit à propria cæsus & ipse manu.  
Absolo regnandi sic quando cupidine cœcus  
Filius infandum degener ausus erat,  
Hunc Deus irato discussit fulmine summus,  
Fidentiq; sibi pristina regna dabat.  
Namq; uocare Deum sola est pulcherrima uirtus,  
Maxima credenti prominet unde salus.  
Quo tua Sennacherib pharetrata potencia belli,  
Militiæ ac populi tot redière tuæ?  
Aeus ubi fueras Solymorum cingere muros,  
Et charos premeres obsidione DEO.  
Sensisti, ò nimium sensisti absterritus omnem  
Rem prece sanctorum tunc prohibente geri.  
Hei miseram stragem uox edidit illa piorum,  
Quam uix ulla suis uiribus arma queunt.  
Nam quibus ille uagū cunctis tremefecerat orbem,  
Vna tot misere millia nocte cadunt.  
Quæ iugulans aucta diuino robore dextra,  
Angelus occidit filius ipse Dei.  
Vsq; adeo ad dominū est querulę uis maxima uocis,  
Æternumq; adeo sic iubar illa tenet.  
Sæuiat ergo licet toto Mars impius orbe,  
Non tamen arma magis quam pia uota ualent.  
Facta pio ac humili supplex oratio corde,  
Quid præstare nequit quid prohibere nequit.

B ij Hec

Hæc ualeat indomitis sedare leonibus iras,  
Hortum ne noceat uis Daniele tibi.  
Hæc facit ut foueam tuus irruat hostis eandem,  
Aeus eam tibi quicunq; parare fuit.  
Hæc regit efflantem frenis spumantibus ignem,  
Ne queat hic solitos exeruisse modos.  
Dum rapidi quondam flammæ Babylonidis æstus  
Tres sanctos minimè corripuere uiros.  
Nam uirtute precum quis non superabitur hostis?  
Quis nequeat luctus damna leuare sui?  
Scilicet hac sola pereunt incommoda magna,  
Non alia melius uincitur omne malum.  
Sanctus apostolico sic fungens munere Petrus  
Nonne Dei sentit, qua releuetur, opem?  
Sentit, & huic soli Domino constanter adhæret,  
Carceris haud metuens omnia claustra sui.  
Vndiq; miles ubi cinctum pharetratus habebat,  
Huicq; catenarum membra ligaret onus.  
Angelus è cœlo clarus quem fulgor habebat  
Iussus opem uincto ferre salutis, adeat.  
Cuius ad eloquium mox duræ adamante catenæ  
In mirum fractæ dissiliere modum.  
Sponte recesserunt robusta repagula postis,  
Omnis & ærata ianua clausa sera.  
Vlla nec obstabat uigilantūm copia magna,  
Quamuis illorum maxima cura fuit.

Quo

Quo minus aufugiens adeō diuinitus illo  
Tempore, sanguineo liber ab hoste fore.  
Innumerabilium sed nunc exempla piorum  
Omnia quis tandem commemorare queat?  
Qualibus est omnis rerum experientia plena,  
Dicere quæ diues nulla Thalea potest.  
Quæ sit enim uocis laus supplicis omnibus horis,  
Cuilibet hanc ætas singula quæc̄ dabit.  
Quemlibet æruminæ possunt duric̄ labores  
Et mala multa domus eruditissē suæ.  
Quem non hæc doceat facies miserabilis orbis,  
Hei mala tot mundi, tanta & confusio rerum,  
Tām grauis ô grauis est hīc & ubiq̄ labor.  
Ultima iam supereft & tristis in orbe senecta,  
Corporis ægra trahens languida membra sui.  
Nunc senio gradiens annoso Ecclesia fessa  
En gerit occiduo pectora curua pede.  
Iamq̄ tremunt albis sua tempora cana capillis,  
Hei miseram faciem ruga senilis habet.  
Namq̄ adeō uastans furiali pectoris ausu  
In scelus omne scelus barbarus hostis agit.  
Omnibus ille pijs àh quoquis tempore damnum  
Et ferro & flammis exitiale parat.  
Sæpe Tyrannorum sæuit furiata potestas,  
Quos habet ut possint tollere cura pios.

B iñ Vndic̄:


Vndiq̄ tum uarius de relligione tumultus  
De cultuq; nouus clamor ubiq; suenit.  
Tot sunt diuini certamina turpia uerbi,  
Vt queat illorum nullus adesse modus.  
Quilibet in mundo phantasticus omnia mutat,  
Miscens in lubricum cælica uerba chaos.  
Audet & humani cerebri tentare nefandum  
Sacrilega & stulta pro ratione malum.  
Tot rabies inter sœuos mundiq; furores  
Quos stygius toto spargit in orbe Draco.  
Ingemit hei querulo turbata Ecclesia corde,  
Quam ferit horrendis uasta ruina minis.  
Hanc ita quis seruat & mundi super omnia Christus,  
Tempus in omne cui nos sua cura sumus.  
Namq; suæ turbæ, qua non sibi charior orbis,  
Ille senescentis squalida membra leuat.  
Præsentem fore cui se se promisit in annos  
Auxilio æternos & sine fine dies.  
En ego uobiscum dum consumabitur omne  
Tempus ero, dicit filius ille Dei.  
O uox alma Dei celebri dignissima plausu,  
Vnde animis adsunt gaudia uera pijs,  
Nunc fremat inferni fremat indignatio & orbis,  
Obsidione pios cingat uterq; mali.  
Tartareæ Furiæ rabies tollantur in omnes,  
Aut odio cicat Styx fera bella suo.

Ille ru-

Ille ruens adeō totus frangatur & orbis,  
Nobiscum uero numine Christus adest.  
Tempore pro nobis armatus inermibus omni  
Contra omnes hostes qui pia bella gerit.  
Ille suis, inquam, Deus est fortissima rupes,  
Stabit io cuius per mala cuncta domus.  
Eia age Christe salus hominū, mundiqꝫ redemptor  
Dignate humanæ sumere molis onus,  
Tempora, quæso, tuæ pacis concede benignæ,  
Qui puer õ ueræ nomina pacis habes.  
Munera tanta Dei latè diffusa per orbem  
Mundus ut unanimæ laudis honore ferat.

F I N I S.






153028

AB: 153028





### Farbkarte #13



# IMAGO I API

DIS ANGVLARIS QVA SIGNIFICANTVR BENEFICIA FIS  
LII DEI, EX QVIBVS SALVS  
ET AVXILIVM ECCLESIAE PENDET.

19

Autore

IOHANNE MEISNERO  
Strelensi Silesio.

Philippus Melanth.

IPSE Deus sapiens, uerbo qui cuncta creauit,  
Et certis annum legibus ire iubet.  
Efficiat, nobis ueniens sit faustus ut annus,  
Et clemens dextra nos tegat ipse sua.  
Et quoniam gnatum misit, qui colligat agmen,  
Cuius sit Doctor, uita, caputq; Αόρος,  
Hic Αόρος, aeterno natus Patre, semper adesse  
Et custos nobis & caput esse uelit.  
Viribus humanis non est Ecclesia tuta,  
Regum præsidij orphana mœsta caret.  
Sed nostram indueris cum miro fœdere massam  
Gnate DEI semper nos tua membra regas.  
Et facias, tecum nos unum ut simus in ænum,  
Vera laude tuus quo celebretur honos.

I S S 7.